

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Geographia universalis

**Ptolemaeus, Claudius
Münster, Sebastian**

Basileae, 1540

Hunorum praesidium; Hassonia et Thuringia

urn:nbn:de:bsz:31-67084



HVNORVM PRÆSIDIVM.




HA regio, quam vulgo Huneruck uocāt, putatur olim fuisse Hunorum statio seu præsidium. De qua illustrissimus princeps Iohannes Palatinus, qui ei præsidet, ista supeditauit. Extant adhuc uestigia quædam Hunorum in regione nostra. Nam haud procul à Siemern oppido nostro est fons quidā, qui uocatur Hounenborn, id est, Hunorū fons. Est & arx quædā, quam uulgus uocat Hoinstein, in Cācellarijs uero appellatur Hunoltstein, quasi Hunorum rupes. Et aliud castrum Castellun, quasi castellum Hunorum. Porro Ruck Germanis sonat tergū: tergo aut utuntur pro tuto præsidio. Erat itaq; regio ista Hunis olim tutum præsidium ob id potissimum, quod his tribus fluuijs Naha, Rheno & Mosella circūscribitur. Sed cum comites Spanheimenses, Ringrafenses, Veldentzenses atq; Vuilgrafenses exercitum ualidum in unum coëgissent, colluuiem illius gentis in fugā uerterunt. Regioni huic, ut diximus, hodie præsident principes Palatini, heredes facti comitatuū Spanheim & Veldencensis per dominam Annam, quæ unica filia & heres fuit utriusq; comitatus, & quam Stephanus Ruperti Palatini & regis Romanorum filius uxorem duxit. Reliquit autem Stephanus duos filios, Fridericum & Ludouicum nigrum. Friderico obuenerunt ex Palatina tu Siemern, Bolanden, Vualdeck & Erenberg cum annexis prædijs, à matre, Spanheim. Ludouico uero cessit à patre Zwei brucken, à matre Veldentz &c.

HASSONIA ET THVRINGIA.

CVm anno Christi 1001. imperiū Romanum in Germanos translatum uarijs dignitatum gradibus adornaretur ab Ottone tertio imperatore, instituerenturq; quatuor duces, quatuor marchiones, quatuor Landgrauj, quatuor Burggrauj, quatuor comites &c. breui factum est, ut ob uirilis successionis defectum iste ordo cōfunderetur

QVARTA RHENI ET IX·NOVA TAB



deretur & interrumpetur, tituli & dominia disiungerentur, transferrenturq; in
aliam lineam & ditionem. De Hassonia quidem scriptum inueni, quod olim fue-
rit comitatus subiectus Landgrauio Thuringensi, sed postea & ipsa surrexit in
Landgrauiatum. Anno Christi 1241 defecit linea Landgrauiorum Thuringen-
sium sub Friderico secundo, translatumq; est dominium ad Marchiones Misniae.
Nam Alberti marchionis Misniae mater fuerat filia Landgrauij Thuringensis. De-
inde anno Christi 1423. cum elector dux Saxoniae sine prole moreretur, impera-
tor Sigismundus dedit ducatum illum dominis Misnensibus, & ab eo tempore
triplicem habuerunt titulum: nam sunt Landgrauij Thuringenses, Marchiones
Misnenses & duces Saxoniae. Circa Annum Christi 1120. praefuit Thurin-
giae Ludouicus Landgrauius gener Lotharij imperatoris & ducis Saxoniae, cui
successit Ludouicus filius eius, & huic quoq; successit filius Ludouicus, qui an-
no Christi 1182. sine prole in terra sancta obiit, successitq; ei frater eius Herman-
nus, cuius filius Ludouicus duxit uxorem Elisabetham regis Vngariae filiam, suscepitq;
ex ea filiam nomine Sophiam, quam duxit Brabantiae dux, & filium Herman-
num, qui cum sine prole moreretur anno 1241. Sophia soror conabatur filium
suum Ludouicum ducem Brabantiae in fratris substituere locum, at Misnenses re-
nuentes praefecerunt Landgrauiatui Albertum Henrici Marchionis sui filium.
Tunc Sophiae alter filius nempe Henricus dux Brabantiae, factus est Landgrauius
Hassoniae. Quae sequuntur suppeditauit Io. Dryander Hasso, uir ob insignem
eruditionem doctis quibusq; notus. Henricus dux Brabantiae & Landgrauius
Hassoniae genuit Ottonem successorem. Otto duos habuit filios, Henricum qui
ei successit sed prolem non reliquit, & Ludouicum, cuius filius Hermannus pa-
truo successit. Hermannus filius Ludouicus successit, Ludouicus habuit quatuor
filios, Ludouicum successorē, Henricum qui ducta ultimi comitis de Catzenelbogen
filia, socero in comitatu successit, Hermannum, qui factus est archiepisco-
pus Coloniensis, Fridericum qui puer obiit, Ludouicus duos habuit filios, & uter-
que uocatus fuit Guilielmus, prior senior, alter medius: habuit & Henricus fili-
um nomine Guilielmum, & hic iunior appellatus fuit. Senior Guilielmus pa-
tri successit, quo praematura morte sublato, procurante archiepiscopo Coloni-
ensi, Guilielmus iunior principatui praeficitur atq; comitatibus Catzenelbogen,
Dietz & Nidda, duxitq; uxorem filiam comitis Palatini, at cum ipse quoq; in iu-
uentutis flore moreretur, tota ditio ad Guilielmum medium peruenit. Et hic
tempore belli Bauarici genuit Philippum, qui iam praesidet principatui.